



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

11. Ad præclara &c. Pro Cardinali Eboracensi, Bulla Decimarum Registrata
apud me, Bembum: anno 1517.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

à revocatione, monitorio, & mandato prædictis, quamprimum illorum habuistis notitiam, ad nos & Sedem Apostolicam coram certis honestis Personis appellavissetis; Nos appellationis hujusmodi, ac nullitatis dictarum posteriorum litterarum, & illarum prætextu, vel etiam alias post, & contra appellationem hujusmodi gestorum causas, ad vestri instantiam, Venerabili Fratri Francisco Episcopo Albanensi, & dilecto Filio nostris Achilli tituli Sancti Sixti Presbytero Cardinali, audiendas commisimus, & sine debito terminandas.

Nuper autem dictus Henricus Rex nobis per suas litteras, & ejus nomine Venerabilis Frater noster Sylvester Episcopus Wigornienfis, pro eodem Henrico Rege ad nos, & Sedem prædictam destinatus Orator, significarunt, dicti Henrici Regis pro suo, & ejusdem Civitatis tranquillo statu (cum Civitas ipsa in confinis consistit) maximo interesse, ut præfato Ludovico Electo, qui sui erga ipsum Henricum Regem infesti animi conficius, Homagium Dominis temporalibus dictæ Civitatis per illius Ecclesiæ Antistites præstari solitum, præfato Henrico Regi nunquam præstitit, & quem idem Henricus Rex sibi, & rebus suis vehementer habet suspectum, Regimen, & Administratio dictæ Ecclesiæ Tornacensis (ne sub illorum Clypeo contra eum sinistri aliquid machinetur) interdicanter, illaque alteri Personæ idoneæ, dicto Henrico Regi non suspectæ committantur, & nisi hæc fiant, formidandum esse, ne brevi temporis spatio aliqua suscitetur in dicta Civitate seditio, quæ perniciosos, & inevitabiles tunc producat effectus.

Nos considerantes, præfato Ludovico electo non expedire in ea Civitate degere, cujus Domino temporali adeo est suspectus, nec præfata Ecclesiæ Tornacensi utiliter consuli, si ejus regimen, & administratio per illius exerceantur Vicarios, qui ad Ecclesiam ipsam se conferre, ac Clerum ac Populum suæ Curæ creditos personaliter visitare securè non possit, volentesque ad seditiones, & Populorum scandala evitandum, & ne Ecclesia ipsa aliqua interim in spiritualibus, & temporalibus detrimenta sustineat, opportunum adhibere remedium, ac sperantes, quod tu, qui alias Ecclesiæ Tornacensis regimen, & administrationem hujusmodi laudabiliter gessisti, scies, velis, & poteris, auctore Domino, illam rursus feliciter regere, & providè gubernare, motu proprio, non ad tui, vel dicti Henrici Regis, aut cujusvis alterius pro te nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra merâ, & maturâ deliberatione, certa scientia, & potestatis plenitudine, omnes, & singulos, contra quos Executores præfati, vel eorum aliquis, aut subdeputati ab eis, præmissorum occasione censuras forsitan fulminarunt, à censuris eisdem harum serie absolvimus, & si dictus Ludovicus Electus infra quadraginta dies, quorum decem ei pro primo, & decem pro secundo, & decem pro tertio, & peremptorio termino, ac Canonica monitione, nec non reliquos decem dies hujusmodi ad ipsius Ludovici Electi, si in hæc defecerit, contumaciam magis convincendam, ex superabundanti cautela assignamus, Præsentium, seu earum autentici transumpti, publici Notarii subscriptione, & alicujus Curie Ecclesiasticæ, vel Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, Sigilli impressione muniti, in dictæ Tornacensis, & Cameracensis Ecclesiarum valvis affixionem faciendam (quam vim validæ, & efficacis cautionis, perinde ac si ipse Ludovicus Electus, ad hoc personaliter vocatus & apprehensus foret, obtinere decernimus) coram dictis Francisco Episcopo, & Achille Presbytero Cardinalibus, se Homagium prædictum, & juramentum fidelitatis, secundum consuetudinem à Prædecessoribus suis inviolabiliter observatam, dicto Henrico Regi præstitisse, seque eidem Henrico Regi fidum, & omni contra eum, & ejus Statum infidelitatis suspitione carentem le-

gicimè non docuerit, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, quavis appellatione omnino remotâ, auctoritate Apostolicâ te dictæ Ecclesiæ Tornacensis Administratorem in spiritualibus, & temporalibus usque in finem hujusmodi litis deputamus, teque quoad administrationem eandem, & nostras super illa confectas litteras cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, in eum quo ante revocationem prædictam quomodolibet existebas, & existere poteris, statum restituimus, reponimus, & plenariè reintegramus.

Decernentes ex nunc irritum & inane, quicquid secus super his à quoquam quavis etiam auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Et nihilominus tibi Singulares Capituli, Cleri, & Populi prædictorum, & alias Personas etiam Religiosas, exemptas, & non exemptas, dictæque Ecclesiæ Tornacensi Feudatarios, Emphyteotas, Colonos, Vasallos, & alios supradictos, etiam si qualificati, ut præfertur, existant, ad tibi, dicta tua administratione durante, obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas exhibendum, & tibi de fructibus, redditibus, & proventibus, & aliis juribus dictæ Mensæ à se debitis respectivè, integrè respondendum, per censuras Ecclesiasticas, & pecuniarias penas, & alia quævis opportuna remedia, etiam dicta appellatione postpositâ, compescendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii Secularis, facultatem concedimus per præsentem.

Non obstantibus præmissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, de Personis extrâ earum Civitates, vel Dioceses, nisi in Casibus ibi exceptis, & in illis ultra unam, & Concilii generalis ultra duas dies ad Judicium non vocandis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quæ in aliis nostris, per quas te olim dictæ Ecclesiæ Tornacensis Administratorem constituimus, litteris volumus non obstat, cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, assignationis, decreti, restitutionis, repositionis, reintegrationis, & concessionis infringere &c.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millefimo Quingentesimo decimo septimo, quinto decimo, Kal. Maji Pontificatus nostri, anno quinto.

Jac. Sadoletus.

Pro Cardinali Eboracensi, Bulla Decimarum Registrata apud me, Bembum: anno 1517.

LEO EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Thomæ, tituli Sanctæ Cecilie Presbytero, Cardinali Eboracensi, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

AD præclara virtutum munera, quibus illorum Largitor Altissimus personam tuam multipliciter decoravit, nostræ dirigentes considerationis intuitum, & attentè prospicientes, quod tu Romanam Ecclesiam, cujus honorabile membrum existis, tuorum honores plenius magnitudine meritum, spem nobis pollicentur indubiam, quod ea, quæ Circumspectioni tuæ duxerimus committenda, ex doctrina, ac etiam longa rerum gerendarum experientia, quibus etiam te illustratum novimus, ad nostrum, & Sanctæ Sedis Apostolicæ statum atque honorem pertinentia, omni studio, & sollicitudine prudenter exequeris.

Hac itaque fiducia moti considerantes, si Sedes Apostolica promoris ad Cathedralium Ecclesiarum regimina, pro necessariis expensis in sua hujusmodi promotione faciendis, facultatem concedere

XI.
Ex Arch.
Angl. Ri-
mer, Tom
13.

confuevit, ut ab omnibus Personis Ecclesiasticis Sæcularibus & Regularibus, Beneficia Ecclesiastica in eorum Civitatibus & Diocæsis obtinentibus, caritativum subsidium, pro oneribus promotionis hujusmodi facilius supportandis, petere & exigere possint, quanto magis nobis videtur honestum pro nostrorum ac Ecclesiæ Sponsæ nostræ jurium defensione & tuitione, subsidia & auxilia ab Archiepiscopis & Episcopis, qui dum munus Consecrationis eis impenderetur, fidelitatis debitæ solito per eos præstito juramento, inter alia promiserunt defendere Romanum Papatum, quantum eorum Ordini conveniret, ab eis & aliis Prælatibus & Beneficiatis, in tam magna imminente necessitate implorare, prout charissimo in Christo Filio nostro Henrico Angliæ Regi illustri, necnon eidem Circumspectioni tuæ, ac venerabilibus Fratribus nostris Cantuariensi, nostro & Apostolicæ Sedis Legato nato, & aliis Archiepiscopis & Episcopis dicti Regni, per alias nostras latius significamus. Sparamusque, & omnino expectamus, ut, cum intellexerint, tam grandem nobis, & eidem Ecclesiæ, Sponsæ nostræ, injuriam illatam, eos tanquam veros Fratres nostros, & hujus Sanctæ Sedis honoris cupidos non minori molestiâ, quam nos ex ea affici debere, illamque non minus eis, quam nobis inferri affirmatos, ipsamque injuriam non solum ejusmodi subsidio, sed etiam proprio sanguine vindicare posse ultrò desideramus, nobis procul dubio promittimus, nec dubitamus, eos auxilia prompta & larga spontè præstituros, præsertim ejusdem Henrici Regis, qui, & claræ memoriæ ejus Genitores & Prædecesores hujus Sanctæ Sedis, & sedentis in ea boni semper cultores & fautores fuerunt, & tuis efficacissimis exhortationibus quamprimum id effecturos, cum res ipsa celeritate indigeat.

Ea propter Circumspectionem tuam unius integræ Decimæ Collectorem & Exactorem Apostolica Auctoritate, tenore præsentium, facimus, creamus, constituimus & deputamus, tibi que hujusmodi integram Decimam eisdem Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Abbatibus, Commendatariis, & Personis aliis in dicto Regno, & aliis locis eidem Regi subiectis consistentibus, etiam in hoc, quod non credimus, redderent se difficiles, imponendi, seu Legato, Archiepiscopis & Episcopis præfatis, ut illam suis Clericis, & aliis personis eis subiectis, prout magis tuæ Circumspectioni visum fuerit expedire, imponere valeant licentiam concedendi, licentiam concedimus, & impositam petendi, colligendi & exigendi, ac eis tam in genere, quam nominatim, & in specie, ut illam solvant, sub Excommunicationis latæ sententiæ, & privationis Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos tunc obtentorum, & aliis de quibus tibi videbitur pœnis, etiam pecuniariis, mandandi, ac terminum ad id præfigendi, & præfixum semel & pluries, toties quoties tibi videbitur, prorogandi, ac pro ejusdem Decimæ leviori ac faciliiori exactione, unum vel plures, tot, quot tibi videbitur Subcollectores, qui pari quâ Circumspectio tua, per præsentem uteris, facultate fungantur, deputandi, tam generaliter, quam nominatim, & Deputatos amovendi, & alios eorum loco, toties quoties tibi videbitur, subrogandi, necnon Decimam ipsam integram solvere recusantes, vel differentes, & generaliter Contradictores quoslibet, & ne solvatur persuadentes, directè vel indirectè per Censuram Ecclesiasticam, & juris remedia opportuna, appellatione postposita, compescendi, invocato etiam, si opus fuerit, ad hoc auxilio brachii sæcularis, solventes verò de solutis quitandi, liberandi, & ab Excommunicationis sententiâ, aliisque censuris & pœnis, quas dicta occasione quomodolibet incurrisissent, absolvendi.

Et generaliter omnino, & singula in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, mandandi & exequendi, plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem.

Non obstantibus, si eisdem Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Commendatariis, Administratoribus, Abbatibus, Prioribus, Militibus, & aliis Personis Ecclesiasticis, vel quibusvis aliis, conjunctim vel divisim, ab Apostolica Sede sit indultum, quod ad solutionem alicujus Decimæ minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdicti, suspendi vel excommunicari, aut extrâ vel ultrâ certa loca ad Judicium evocari non possint, per Litteras Apostolicas, non facientes de indulto hujusmodi, ejusque toto tenore, ac propriis ipsorum locorum, Ordinum & Personarum nominibus & cognominibus, & quibuscunque Privilegiis, Exemptionibus, extra in Corpore Juris clausis, ac Litteris Apostolicis quibusvis Dignitatibus, seu Ordinibus, stabilimentis, usibus & naturis, & præcipue Sancti Benedicti, & Sancti Augustini, S. Johannis Hierosolymitani, Cluniacensis, Cisterciensis, Carthusiensis, Camaldulensis, Vallisumbrosæ, Cruciferorum & Humiliatorum, ac ipsorum Universitatibus, generaliter vel specialiter, sub quacunque forma & expressione verborum, ab eadem Sede concessis, mentionemque, etiam de eis, eorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum, quoad opportunam eorum, & clausularum in eis contentarum derogatarum derogationem, præsentibus habenda esset mentio specialis, eis que ad præmissa illis aliis in suo robore permanentibus, nolimus quomodolibet suffragari.

Volumus autem, ut juxta ordinationem in Concilio Viennensi super hoc editam, Calices, Libri, & alia Ornamenta Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, & piorum Locorum, ejusmodi Divino Cultui dedicata, ex causa pignorum, vel aliâ occasione solutionis dictæ integræ Decimæ, nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur.

Quodque præsentium Litterarum transumpto, tui, aut alterius Prælati Ecclesiastici Sigillo, & publici Notarii substipulatione munito, eadem prorsus Fides adhibeatur in iudicio & extra, quæ adhiberetur ipsis Originalibus Litteris, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrorum Facti, Creationis, Constitutionis, Deputationis, Concessionis & Voluntatis infringere.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo decimo septimo, nono Kal. Septembris, Pontificatus Nostri anno quinto.

Visa, Bembus.
Jo. Madrigal.

Super privatione Adriani Cardinalis Bulla pro Cardinali Eboracensi: anno 1518.

Registrata penes me Secretarium Evangelista,

LEO EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Thomæ, Tituli Sanctæ Ecclesiæ Præbitero Cardinali, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Ecclesiam Utilitati tunc recte consulere non ambigimus, cum illarum Regimini Ministros providos & utiles deputamus, per quorum solertiam & providentiam circumspectam Ecclesiæ ipse præserventur à noxiis, & continuis, auctore Domino, in spiritualibus & temporalibus proficere valeant incrementis: Dudum siquidem Provisiones Ecclesiarum omnium apud Sedem Apostolicam tunc vacantium, & in antea vacaturarum Ordinationi & Dispositioni nostræ reservavimus; decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari.

Et

XII.
Ex Arch.
Ang. Ri-
mer. Tom.
13.